



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm XI. Dilectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

niatur, ut docet Gl. margin. in l. Mutus. 43. §. poena, ff. de Procuratori. Nam alioquin repelli poterit ab actione, nisi paratus sit, vel etiam promittat (si in procuratorio mandato expressum non sit) dominum suum defendere, seu pro eo respondere, iuxta cit. §. poena, & l. vn. C. de satisfando, & tradit Gl. hic ver. respondendum, Abb. n. 5.

CAPITVLVM XI.

Dilectus.

PARAPHRASIS.

Magister Laurentius Parochus Ecclesie de Launa cum studiorum causa (permittente ac dispensante Episcopo, c. cum ex eo, 34. de elect. in 6.) Bononiam profectus esset, Procuratorem generalem ad omnia negotia sua reliquit. Postea Richardus Presbyter in controuersia quadam super eadem Ecclesia literas Apostolicas ad Iudices quosdam impetrauit, quarum vigore Parochus ille ad iudicium citatus est. Cum autem Procurator eius loco comparens dilationem temporis competentis peteret, intra quod dictum Parochum Dominum suum consulere posset, num in iudicio contendere, an liti cedere deberet; iudices illi inducias denegarunt. Quare Procurator ad Sedem Apostolicam appellauit. Ad hanc rescripsit Gregor. IX. si ita sit, ut narratur, omnia quae post interpositam appellationem à iudicibus acta sunt, pro irritis habenda esse.

SUMMARIUM.

1. Procurator generalis loco absentis constitutus ad negotia omnia, censetur etiam constitutus ad lites in iudicio.
2. Consultum & consuetum est, ut, si fieri possit, prius ipse principalis citetur, & in huius primum defectum Procurator generalis.
3. Procuratori inducia concedenda sunt, si petat ad dominum super re aliqua consulendum, nisi in casu, quo instructus in causa à domino mittendus fuisset.

NOTANDVM I. Procurator generalis loco absentis constitutus ad negotia omnia, censetur etiam constitutus ad lites in iudicio. Ita notat Gl. hic, ver. generalis, Imola num. 1. ex c. qui generaliter, 5. eod. in 6.

NOTANDVM II. Consultum, & vltimum est, ut, si fieri possit, prius ipsemet dominus seu principalis citetur; in defectum autem domini, eius Procurator generalis. Ita sumitur ex hoc c. verb. eodem Rectore citato, & tradit Gl. in c. 3. ver. ad domum, de dolo & contum. Bartol. in l. 3. n. 2. C. de Procurator. Abb. hic n. 4.

NOTANDVM III. Procuratori induciae concedendae sunt, si eas petat ad dominum super re aliqua consulendum. Quatenus in re ita distinguunt hic Anton. & Imola n. 6. Abb. n. 5. Durand. in Spec. lib. 2. p. 1. de dilation. n. 18. Si dominus citatus fuit, explicata ipsa causa, & inserto libello actoris, tum Procuratori induciae concedi non debent; cum in causa illa instructus à domino mittendus fuisset, arg. c. 2. de dilat. & videri potest Abb. in c. coram, 7. n. 3. de in integr. restit. Praeterquam si aliquid de nouo emergat, ante non praesensum: Vel si eo deuentur, ut v. g. transigendum sit, quod Procuratori absque mandato speciali concessum non est, c. qui ad agendum, 4. eod. in 6. Sin vero dominus generatim, causa non satis expressa, citatus fuit, ita ut Procuratorem instructum mittere non potuerit, tum induciae ad consulendum dominum Procuratori petenti concedi debent.

CAPITVLVM XII.

Constitutis.

PARAPHRASIS.

Controuersia erat inter Henricum Priorem Sagiensem, & Titum laicum, super quadam pecunia, quam Titus nomine uxoris suae mutuo datam, à Priore repetebat. Hanc causam Gregor. IX. Ottoni Subdiacono suo commisit. Sed Prior ille post libellum sibi oblatum, non accepta à Sub-

diaco-